



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titvlvs XLIX. De Immunitate Ecclesiarum Cœmeteterii & rerum ad eas
pertinentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

TITVLVS XLIX.

De

Immunitate Ecclesiarum Coemeterii & rerum ad eas pertinentium.

QUÆRES I. Quid sit Immunitas, & quomplex? Respond. Immunitas est *exemptio ab oneribus publicis aliis Communibus*; quæ triplex *struitur, personalis, realis & localis*. Personalis competit personis ecclesiasticis & consistit 1. In privilegio Canonis *si quis suadente caus. 17. quest. 4. vi. cuius violentas manus Clerico injiciens excommunicatur*. 2. In privilegio fori, cuius vigore, ad iudicium seculare trahi non potest. 3. In exemptione ab omnibus oneribus personalibus quæ corporali labore persolvuntur. *l. fin. ff. de muneri.* 4. Omnimodâ exceptione ab obligatione legum Civilium, quibus, si communem utilitatem & gubernationem Republicæ concernant, non nisi directivè tenentur. 5. In exemptione à vectigalibus & tributo. *cap. 4. b. t.* Immunitas realis est, quæ rebus ad ecclesias, personis ecclesiasticas, & loca pia spectantibus concessa est, ut à sæcularis potestatis exactionibus sint immunes; res tales, sive bona sunt duplicis generis; quædam immediatè ex donatione v. gr. pertinent ad ipsam ecclesiam seu ejus fabricam; quædam à singulis ecclesiæ personis ratione beneficii, adeoq; titulo spirituali possidentur, quæ omnia à tributis per potestatem sæcularem impositis immu-

nia esse, communis est Canonistarum, doctrina. *cap. 1. h. t. in 6.* Immunitas localis est quæ à SS. Canonibus ad imitationem legis veteris ecclesiis earumque Cœmeteriis concessa est, quâ prohibetur: Primò nè in iis negotiationes, aut strepitus judiciales exercentur. *c. 1. § 5. h. t.* Secundò, nè reus cujusq; criminis, paucis exceptis, ad ecclesiam confugiens inde extrahatur, gaudet enim jure asyli propter honorem ecclesiæ debitum, quæ in minori non debet reverentiâ haberi, quam in V. Test. Civitates refugii. quin imò iunitas hæc non tantùm in ipsâ ecclesia, sed 40. passibus circa eandem competit; nollem tamen huic immunitati confidere, quam toties vidimus tam turpiter violari.

QUÆRES 2. quinam gaudeant jure asyli?
Respond. Asylo gaudent omnes, excepto latrone publico, *cap. 1. de homicid.* & eo qui per industriam & stratibus insidiis homicidium commisit aut in ipsâ ecclesiâ vel ejus Cœmeterio deliquit, cum frustra auxilium legis imploret, qui in legem deliquit, *cap. 10. h. t.* de quo videnda est bulla Gregor. XIV. publicata Romæ 1591. apud Quarant. fol. 583.

TITVLVS L.

Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

QUÆRES. Quanam hoc tit. Clericis & Religiosis prohibeantur? Respond. Cùm secundum Apostolum 2. *Tim. 2.* nemo militans